

gredi vellem, plura possem eodem modo hinc adferre, sed remitto me ad *disc. meum Acad. 3. concl. 37. disc. Acad. 4. p. (mibi) 255. 256. & margar. 5. 6.* Falsarii quoque sunt, & ideò rectissimè puniuntur, qui speciosissima consilia infido & malo animo tanquam venena sub melle propinant. *Herm. Lather. in tractat. de censu, lib. 3. c. 16. num. 173. 174. 175. cum seqq. Herm. Kirchn. de officio Cancellarii, c. ult. num. 33. cum seqq.* Utcunque quis vultum fingat, vulpina cauda semper prominet, & utcunq; obganniat, rictus & rugitus Leonem prodit, *Falschheit bricht endlich auß!* *Abrah. de la Faye in hortul. histor. cor. 2. flor. 5. in fin. p. 143.* & sæpissimè mali illi Consiliarii, dum aliis nocere student, seipos periculis improvidi implicare solent. Hinc verum

Consultum malè consultori pessima res est;

Arte alium quàm quis capiet, capietur eadem.

Confer hac de re differentem *Theologum Dn. Cunrad. Dieter. in Analys. Evang. Dom. post Trinitatis 23. p. (mibi) 760.*

ARTICULUS CXIV.

Pæna termini moti.

Qui dolo malo terminum, lapidem, fines, sepes, fossas, arbores, columnas, vel quicquid distinguendorum dominiorum causâ fit, collocatur, ponitur, statuitur, mutaverit, loco moverit, effoderit, transposuerit, alveum fluminis termini aliò direxerit, constituit *Carolus V.* quod is pro atrocitate criminis, præsertim cum publicos amoverit terminos, vel capitali supplicio, vel mitius plectatur; aut castigetur, *Steph. Bernh. Zieritz. Gobl. hic. Confer Iust. Mejer. in Collegio Argentoratensi, lib. 47. Pand. tit. 21. conclus. 4. 5. cum seqq. Iacob. Menoch. 2. de A. I. Q. c. 393. Cujac. 19. obs. 10.*

ARTICULUS CXV.

Pæna prævaricationis.

Remitto me ad *Goblerum, Zieritz. & Steph. Iust. Mejer. in Colleg. Argentorat. lib. 47. tit. 15. concl. 1. cum seqq. Henr. Bocer. class. 4. disp. 9. concl. 48. cum seqq. & propero.*

ARTICULUS CXVI.

Pæna criminis Sodomitici.

Secundùm naturã homines Venere utantur, *Plat. lib. 8. de ll. p. 646. 647.* non contra naturã luxuriari debent, *Epist. Pauli ad Rom. c. 1. v. 27.* Miror, quod *Ioh. Della casa Sodomitici criminis laudes nefario libro complexus sit, ut latius trado Disc. Acad. 7. secunde editionis, concl. 15.* cum tamen, si quis fœdissimũ cum bruto concubitum iniverit, si vir in virum, aut fœmina egerit infœminam, mortis pœnam sustinebunt, iiq; consuetudine diu receptã igni exurentur, *Zieritz hic. & consule omninò hic doctissimum Gobl. & Steph. ubi profectò non vulgaria tradit. Et licet in cadavera non exerceatur merum imperium, comburuntur tamen, si rem ali-*